

seruata per omnia adprobata consuetudine & statutis aliis legitime permutasse presentibus dilectis fratribus nostris domino. M. Duce & domino Erico atque dilecta vxore nostra domino svanthapulk. & domino marsscalco nostro. Magno. domino Martino milite procuratore nostro tunc temporis in wisinso existente multisque aliis viris discretis pariter et honestis. Nolentes siquidem quod predictum permutacionis contractum per nos sicut premissum est legaliter per omnia celebratum aliquis valeat irritare, presentes litteras ad huius rei perpetuam euidenciam appensione nostri sigilli duximus roborandas. Datum Wisinso Anno domini. M°.CC°.LX°.VIII°. proxima tercia feria ante festum beate lucie virginis.

Sigillet bortfallet.

538.

1269 d. 28 Maj.

Stockholm.

Åtskilliga slägtingars stadfästelse på CARL, ULF JARLS SONS gåfva till Skokloster.

A. 3. b. 1: 3.

Vniuersis christi fidelibus presens scriptum cernentibus. B. Osgothorum Legifer. B. Magni filius. P. Ragerwaldi filius. F. archidiaconus wpsalensis. M. & J. Johannis Angeli quondam filii salutem in domino sempiternam Nouerint vniuersi quod nos testamentum clare memorie Domini. K. W. sweuorum quondam Ducis filii predilecti cognati nostri approbantes, & ratum ac gratum habentes, mansionem de sco cum omnibus pertinencijs suis mobilibus & immobilibus, quam dictus Dominus claustro monialium de sco in testamentum legauit, prout littera testamenti sui super hoc confecta plenius attestatur, dicto loco cum omni iure quod ad nos spectat in eadem, resignamus pacifice in perpetuum possidendam Ne autem hoc factum a nobis vel a nostris heredibus, aut nostris successoribus quibuscunque possit in irritum reuocarj, presentem litteram sigillis nostris duximus roborandam Actum stochulm in presencia Illustris Domini W. Regis Sweuorum & fratrum suorum, ceterorumque regni nobilium anno Domini M°.CC°.LX°.IX°. V°. kal. junij.

Sigillet N:o 1 finnes. N:o 4 i grönt vax. N:o 2, 3, 5, 6, bortfallne.

539.

1269 d. 31 Maj.

Löing.

Bytes-Bref af Hertig MAGNUS på andelar i Runby till PETER ISRAELSSON emot andelar i Wretby.

A. 6. a. 1: 4.

Omnibus christi fidelibus presens scriptum cernentibus. M. dei gracia Dux swecie salutem in omnium saluatore. Nouerint tam posteri quam presentes

sententes nos dimidiam tertiam marcham terre in Runbý & dimidiam marcham in circumiacentibus prediis consilio & assensu Domini nostri Regis & fratris Waldemari ceterorumque regni nobilium testimonio pro duabus marcis terre & sex oris in westbý cum dominò Petro israelis quondam filio legaliter cum fastis commutasse. Ne igitur predictæ commutacioni quisquam in posterum contraire presumat eam aliquo modo calumpniando, presentes litteras in testimonium veritatis sigillis Domini Regis. W. fratris nostri. & Domine Regine S. ac nostro, ceterorumque regni nobilium sigillis & testimoniis fecimus roborari. Actum løing in castris domini Regis. Anno Domini. M^o.C^o.C^o.-LX^o.IX^o. II kal. junii.

Sigillen: N:o 1, 2, 4 skadade; N:o 3, 5 bortfallne.

540.

1269 d. 21 Oct.

Lund.

Årkedjåknem ERLANDS i Lund Testamente af åtskilliga gårdar till ett altares inrättande i Lunds Domkyrka, och åtskilliga andeliga inrättningar.

B. 1: 205.

Super altari Domini electi erlandi quod presentabit dominus archidiaconus Et testamentum eiusdem.

Cum diem vocacionis sue Deus omnibus velit esse incertam Ne per repentinum eius aduentum impedire valeat. quod misericorditer largiendum decreuit. vltime voluntatis qui non redit pius affectus Ego Erlandus lundensis archidiaconus In nomine patris & filii & spiritus sancti. meum in hunc modum condo testamentum ad edificacionem cuiusdam altaris in ecclesia sancti laurencij, vbi capitulo lundensi congruum videbitur et ad victum sacerdotis qui illud officiaabit. mansum integrum quem per felicem fratrem meum in fiæløge in quo presidet villicus trugotus cum omnibus mobilibus & immobilibus ad me in dicto manso pertinentibus Jtem tres quadrantes in øndæthorp quos tenet ako villicus. in oriente ipsius ville cum omnibus mobilibus ad me pertinentibus ibidem. Jtem mansum integrum quem habeo in skræplingæ orientali. vbi sunt duo villici. cum omnibus mobilibus ad me pertinentibus ibidem. Jtem curiam lundensem. quam emi de heredibus twonis sacerdotis et fundum in quo sita est stupa in qua cum sociis meis et familia. balneare consueui cum omnibus & singulis domibus. situs in fundis vtrisque. in primis do et lego sub hoc modo quod dictus sacerdos. singulis diebus dominicis vel per alios nisi legitimo & canonico impedimento fuerit impeditus. missam teneatur dicere de sancta trinitate. singulis secundis feriis. alternatim de angelis et de apostolis. singulis terciis feriis alternatim de beato laurencio. sancto stephano et beato vincencio, singulis quartis feriis alternatim de beato nicolao et sancto francisco. singulis quintis feriis de beata Katerina et sancta Margareta. sin-